

Philo.

quod sit Deus vnus, ac si esset omnium. Philo lib. de Decalago. proponens dubium, cur non in plurali, sed in singulari dixit: Non occides, non machaberis. Sic satisfacit: Respondendum est igitur, ait, ideo placuisse hanc formulam, ut lectores sacre Scripture discerent, quiddam valde pulchrum, & necessarium, videlicet vnumquemque, tantisper dum Deo pareat, à legibus honore aequari frequentissimo populo, vel potius omnibus gentibus: adde amplius, mundo etiam vniuerso. Quæ verba præpondera pro nostro instituto. Deinde subdit idem Philo immediate. Quoniam alicubi quendam virum iustum laudans (ego sum, inquit, Deus tuus) ipse autem erat etiam Deus mundi totius. Hoc grauitè confirmatur parabola de oue perditâ, vt dicam. cap. 26. & vide de hac re tom. 2. cap. 3. q. 47. num. 262. & tom. 3. cap. 29. q. 9. n. 66.

Luc. 14. n. 5. Et respondens ad illos dixit: cuius vestrum asinus, aut bos in puteum cadet, & non continuò extrahet illum die Sabbathi? Num. 6. Et non poterant ad hæc respondere illi.

VERSIONES.

Syriacus n. 5. Et subdit eis: quis ex vobis, si ceciderit filius eius, aut bos eius in puteum die Sabbathi, qui non statim hauriens educat eum. Syriacus n. 6. Et non poterant ei dare responsum super hac re. Arabicus. Circa hoc.

EXPOSITIO III.

Respondens ad illos. Sanato nempe homine pergit Iesus loqui illis. cuius vestrum asinus, aut bos. Hæc duo animalia in exemplum adducit, vt pote maximè omnibus communia, ac domestica, & quæ frequentius in omnium vsu erant. In puteum cadet, seu vt alij cum Maldonato: in foueam. Et non continuò extrahet illum die Sabbathi? efficaci exemplo est vsus, vt notant Glossa, D. Bonau. & alij; ac si diceret. Si vos ô Pharisei asinum, aut bouem multa vi, ac conatu ex puteo, seu ex fouea extrahitis in Sabbatho, nec Sabbatum violari putatis: cur me existimatis Sabbathi venerationem imminuere, eo quod sanitarum ægris absque vilo labore, sed solum verbo, vel tactu confero? Rectè Beda. Violabant, ait, illi Sabbatum in opere cupiditatis, qui Christum violare arguebant in opere charitatis. Et non poterant adhuc respondere. Ecce Pharisei, qui in conuenticulis, ac coram populo multa aduersus Christum oblatrabant dicentes, non est hic homo à Deo, qui Sabbatum non custodit. Ioan. 9. num. 16. Coram Christo obmutescunt, & nec vnum verbum dicunt. Nam vt ait Euthym. Cum manifesta esset veritas, coacti sunt pudore omnino suppressere os. Deinde rectè Beda. D. Bonau. Merito, ait, tacent, qui contra se dictum, quiddam dixerint, vident: si enim licet, cur obseruant? Si non licet, cur

44. Maldonat. Glossa. Bonauent. Beda. Ioan. 9. Euthym. Beda. Bonauent.

pecora curant? Iniquus quidquid dicit, contra se producit. Vide hoc tom. 1. 2. & 3. verb. Loqui

QUESTIO VIII.

Quare Dominus exemplum asini, vel bouis obijcit Phariseis ad eorum malitiam confutandam?

NE videretur, quod Dominus Phariseorum silentio fretus absque vlla ratione hydropicum die Sabbathi sanauerit, ideo Diuinus Magister, qui alta prouidentia omnia operabatur, efficacem rationem producit; pro quo vide in Indice, Verbum Ratio; ostenditque quod licite, ac bene omnia facit, adducens exemplum asini, vel bouis in medium, quo eos docet, illorumque malitiam arguit; ex quo nota quàm longe sit ab adulatorum more Iesus, quamuis enim esset inuitatus à Principibus Phariseorum ad epulas, non tamen loquitur ad eorum placitum, sed sincere veritatem dicit; eos arguit, eorumque malitiam eprehendit. Ad quæstionem

Primò. Et litteralis ratio adducta est in expositione, ac si dicat Christus, si vos ô Pharisei, bouem, aut asinum lapsam in puteum multo sudore die Sabbathi absque eius violatione extrahitis; cur mihi obiicitis, quod solo verbo, ac tactu hominem in Sabbatho sanem? Beda. Si vos, ait, in Sabbatho asinum, aut bouem, aut quodlibet animal in puteum decidens eripere festinatis, non animal, sed vestra auaritia consulentes, quanto magis ego hominem, qui multo melior est pecore, debeo liberare? illud cupiditatis, hoc charitatis est opus. In hoc arguit Dominus Iudæorum auaritiam, quia eis maior cura erat de boue, & asino, quam de proximo, ac fratre, hunc enim in miseria infirmitatis volebant esse detentum in Sabbatho, non verò suum brutum animal in fouea.

Secundò. D. Dionysius Carthusian. Peruersis, & excacatis, ait, illis legisperitis, ac Phariseis iam in Ecclesia multi etiam Prælati, & animarum curam habentes sunt similes, quia si viderint pecoribus suis aliquid aduersitatis contingere, mox succurrunt, sed si viderint proximos suos, aut subditos spiritualiter ladi, atque occidi, scilicet peccare mortaliter, aut notabiliter, tacent, dissimulant, non curant, nec dolent: quo patet, quod veram Dei, ac proximi charitatem non habeant. His Phariseis multi inueniuntur prælati similes, quibus maior cura est de suo animali, quàm de suo subdito, magis solliciti sunt, magisque dolore afficiuntur ex incommodo, ac damno bruti, quam hominis, quod totum ex defectu charitatis Dei, ac proximi in eis nascitur; nam si hæc apud illos vigeret, plus curarent de anima subditi, quam de vita bruti animalis. Tertio. D. Augustinus lib. 2. quæstionum Euangel. cap. 29. congruenter autem, ait, hydropicum animal, quod cecidit in puteum comparauit. Vterque enim nimio humore aquæ premitur, ac laborat, cum dicitur cadens in puteum. Lapsus magnitudo, & difficultas reuocandi denotatur; In quæ mala ex immoderato gulæ stimulo deueniunt, hydropicum ex nimio appetitu bibendi, & animal etiam tantquam impatiens vt aquam ex puteo gustaret; non mirum ergo quod in tot mala deueniunt, damna enim, quæ ex gula germinantur, grauiâ, & magna

45. Omnia ratione operandum. Propter excessum non omittat dicere verum. 56. Beda. Auarus plus diligit suum asinum, quàm hominem.

47. Carthus.

Iniquus prælati plus diligit suum animal, quàm subditum. August.

Mala ex gula difficiliter expelluntur.

gna, multamque difficultatem reuocandi ad sanitatem gressus important.

De cibo vetito ait Deus Adamo: In quocumque die comederis, morte morieris, Genes. 2. num. 17. Per varias causas diuersa mala introierunt in orbem; libidiosa cupiditas, per oculorum concupiscentiam: Videntes filij Dei filias hominum. Fortum, ac rapina per ambitionem: Idolorum cultus per hominum amorem. At mors in mundum per gustum cibi vetiti habuit portam in mundum. Cur magis per hanc viam, quam per aliam ingreditur? Mors minimè euitari potest, minimeque à mundo expelli valet, indeque cum sit malum perdurans ex nullo alio capite, nisi ex gula ad sui viam habuit suffragium. D. Zeno Veronenf. lib. 1. ferm. 6. de patient. Vbi Adam, ait, sacra arboris pomum male dulce delibavit, lacrymas reperit: dolores, & gemitus: ultimoque sudore turbatur, posteris hereditatem indigesta mortis derelinquit. Expense, hereditatem indigesta mortis. Mala, quæ ex gula pullulant, indigesta videntur, adeò vt vix extrahi ac expelli ab aflueto valeant.

Quartò. Hugo. Mystice, ait, per asinum stultus, quilibet per bouem sapiens designatur, per foueam verò luxuriam. Fouea profunda meretricis, Proverb. 23. num. 27. Asinus ergo, & bos in puteum cadunt, quia tam sapiens, quàm stultus aliquando in luxuriam ruunt. Ecclesiastes 7. n. 27. Inueni ait, amariorem morte mulierem, qua laqueus venatorum est, & sagena cor eius. Expense magnam exaggerationem, vt notant Titelman. Lorinus, & alij, amariorem morte mulierem. In rem nostram, Sagena eius, quia quantum est ex voluntate sua, ait Hugo, veluti, sagena omnes pisces, & magnos, & paruos capit. Sic mulier impudica omnes ad se trahere conatur.

Quintò. Ponitur asinus, & bos, vt arguatur humana malitia, vt inquit Glossa, Beda, D. Bonauent. quia sæpe apud aliquos homines in maiori æstimatione habetur asinus, vel bos, quàm homo. Ex quo nota iuxta doctrinam Hugonis proximè citati, quod asinus denotat stultum, bos sapientem, tamen dicitur: Quis vestrum asinus, aut bos? Accommodatur sermo communi hominum vsui, cum quibus loquebatur. Asinus primo loco; secundo verò bos ponitur: apud enim mundiales primum locum occupat asinus, scilicet stultus, non verò bos, hoc est sapiens, aut benemeritus, seu multum laborans.

Apocalypf. 13. num. 1. ait Ioannes: Vidi bestiam ascendentem, habentem capita septem, & cornua decem, & super cornua eius diademata decem. Ecce iam manifesta difficultas, si capita erant septem, quomodo plures coronæ: decem diademata. Corona in capite collocatur; cur ergo coronæ decem, & capita septem? cùm esset bestia tota coronis replebatur, multaque coronæ ei superabundabant. Maxime nota, quod diademata non erant in capitibus, sed in cornibus, & super cornua eius diademata decem. Caput Hieroglyphicum sapientiæ; cornua verò bruti nota. In illo autem horrendo monstro non collocabantur diademata, vbi sapientiâ, sed vbi brutalitas designabatur, ac notabatur.

Luc. 14. n. 7. Dicebat autem ad inuitatos parabolam intendens, quomodo primos accubitus eligerent, dicens ad illos:

Sylueira in Euang. Tom. IV.

48. Genes. 2.

Malum inuitabile per gulam.

Zeno.

49. Hugo. Prou. 23.

In luxuriam sapiens, & stultus cadunt. Eccles. 7. Titelman. Lorin.

50. Glossa. Beda. Bonau.

Primum locum nescius, & non sapiens occupat.

51. Apoc. 13.

Corona superabundant nescio.

Num. 8.

Cum inuitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco, ne fortè honoratior te sit inuitatus ab illo.

VERSIONES.

Syriacus n. 7. Dicebat autem parabolam iis, qui fuerant illic inuitati, eo quod conspiceret eos eligentes loca primum accubituum.

Arabicus. Quia illi eligebant primos accubitus.

Syriacus n. 8. Quum inuitatus fueris ab aliquo ad domum conuiuij, ne abieris accubituum primo confessu, ne fortè illic sit inuentus aliquis te honoratior.

Arabicus. Quando vocauerit te aliquis, ne fedees prima congregatione, ne fortè honoratiorem aliquem vocet apud se.

EXPOSITIO IV.

DICEBAT autem ad inuitatos. Conuiuium Dominus miraculo condecorauit; miraculo doctrinam adiungit de humilitate. Pascitur, & pascitur, conuiuio excipitur, & lautiori conuiuio excipit inuitatos; & pro pabulo corporali, cibum spiritualem anime impendit. Theophylactus: Vides, ait, cœnas Christi, quales sint, nempe in vilitatem anime, & non in satiæatem ventris vertuntur. Et dicit eis parabolam. Quamuis videatur apertum documentum, parabola dicitur, quia vt notant Beda, Interlin. Lyran. Caietan. D. Bonauent. Lucas Burgens. dat Dominus doctrinam, qua non aperte redarguit, sed rectè admonet de prompta similitudine à re præsentis, ac à mensa coniuiali, vt amputatis omnibus inanis gloriæ remis, eos in modestia humilitatis informet. Rectè, & modestè arguit. D. Ambrosius lib. 7. in Lucam: Docetur humilitas, clementer tamen: vsu persuasione humilitas asperitatem correctionis excluderet, ratio proficeret ad persuasionis effectum, & correctio emendaret affectum. Si Dominus manifestè, ac asperè increparet Phariseos, potius moueret ad vindictam, ac indignationem, quàm ad correctionem, vt autem proficeret ad persuasionis effectum, & emendaret affectum. Correctio fit lenis, ac recta. Intendens, id est, attendens. Syriacus, eo quod conspiceret eos. Textus, primos accubitus eligerent. Theophylactus tumultuabant propter primas sedes; tum ait Carthusianus, ob honoris auiditatem, tum etiam ob lautiora fercula, quæ altius sedentibus solent apponi.

Cum inuitatus fueris ad nuptias. Exempli loco posuit nuptias, intelligens magnum aliquod conuiuium, cum in eis soleat fieri. Non discumbas in primo loco, seu, in primo confessu, vt habet Syriacus, non

O O ambias

52.

Theophyl.

Beda. Interlin. Lyran. Caietan. Bonauent. Burgens.

Ambros.

53.

Syriac.

Ambros. Cyrilli.

ambias, nec te sponte ingeras in primo acubitu, hoc enim ex immoderata iactantia provenit, D. Ambrosius hic, Appetentia loci superioris arce-

Luc. 14. n. 9. Et veniens is, qui te, & illum vocavit, dicat tibi: da huic locum: & tunc incipias cum rubore nouissimum locum tenere.

Num. 10. Sed cum vocatus fueris, vade, recumbe in nouissimo loco: vt cum venerit, qui te inuitauit, dicat tibi: Amice ascende superius. Tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus.

VERSIONES.

Euthym. n. 9. Qui te, & ille inuitauit. Syriacus. Pudore suffundaris, cum affurrexeris, & obtinearis alium locum.

Vatablus. Et incipies cum dedecore extremum locum tenere.

Theophyl. n. 10. Quin potius cum vocatus fueris.

Syriacus. Vade discubitu in vltimum locum, vt cum venerit is, qui te vocavit, dicat tibi: Amice mi: erit tibi gloria coram omnibus, qui tecum discumbunt.

EXPOSITIO V.

Veniens is, qui te, & illum vocavit, seu inuitauit ad conuiuium; da huic locum, vt honoratior, & dignior te primam sedem occupet; non ait illi descende, sed politice, ac vrbane abire facit. Et tunc incipias cum rubore: legit Vatablus cum dedecore. Nouissimum locum tenere. Ex prima sede ad nouissimam, ac extremam hic recedere cogitur, cum tamen essent alie sedes intermediae, secunda, tertia, vel quarta; cur ergo de prima ad vltimam. Responder Barradas. Exclusus a primo loco non reperit alium, qui non esset occupatus; ideoque oportuit extremum tenere; vel dicitur, nouissimum locum tenere. Vt confusio hominis magis exprimat, quam significare intendit parabola; ex gloria indebita captata dedecus, ac ignominia comparatur.

55.

Sed cum vocatus fueris. Ad nuptias scilicet, ac

ad magnum eius conuiuium. Vade. Pende verbum quando vers. 8. de discumbenti in primo loco est sermo, non dicitur, vade, vt modo de extremum acubitu eligente, quia cum homo ad ima humilitatis descendit, ac vltimum locum amplectitur, tunc supra se vadit, ac pergit. Recumbe in nouissimo loco. In vltima conuiuij sede. D. Bonauent. Te inferiorem omnibus reputando. Pergit Dominus sermone parabolico, vt cum venerit, qui te inuitauit. Non voluit docere Dominus, vt notant Corderius, & alij, quod eo fine vltimus locus eligendus sit, vt ad superiora ascendamus, sed quid ex ipsius humiliatione consecuturum sit, indicare intendit. Consequenter enim humilitatis exaltatio est. Amice ascende superius, ad priorem, ac honoratiorum locum; ad optimum patremfamilias spectat, vt omnia in domo sua sint apte, & accommodate distributa, ne dignior sit in vltimo loco, & minus dignus in primo, cui ordini nemo debet resultare, ipsa enim recta rationis, ac iustitiae dispositio animum coeet, ac conuincit. Et tunc erit tibi gloria. Vera enim gloria est illa, quae datur, non veti quae ambitur. Hac enim inseruit ad ignominiam, illa vero ad honorem.

Qui est hu. militat supra se, extollitur.

Bonau.

Corder.

QUESTIO IX.

Quare docet nos Dominus non quemlibet locum, sed tantum extremum eligere?

VM in conuiuio varij sint locorum acubitus, mandat Dominus vt non secundum, vel tertium, seu quartum eligamus, sed vt vltimum ac extremum teneamus. Ad quod primo recte respondet ex D. Bernardo serm. 37. in Cantic. D. Bonauent. Si enim, ait, in quonam statu vnumquemque nostrum habeat. Deus liquido cognosceremus, nec supra sane, nec infra sedere deberemus, veritati in omnibus acquiescentes: nunc autem quia consilium hoc posuit tenebras latibulum suum, & sermo absconditus est a nobis, ita vt nemo sciat, si dignus sit amore, an odio, iustus, tutusq; profecto, iuxta ipsius veritatis consilium, nouissimum nobis locum eligimus, de quo postmodum cum honore superius educamur, quam presumimus alioquem, vnde cadere mox oporteat cum rubore. In quo loco quisquis nostrum sit apud Deum, nobis penitus est absconditum. Deinde in sui aestimatione homo multum errat; eligendus est ergo a nobis semper vltimus locus, vt ex illo cum honore sublimemur, & primum fugiamus, ne cum dedecore ex illo deiciamur.

56.

Bernard. Bonau.

Homo errat in sui aestimatione, inde eligat vltimum locum.

57.

Bostten.

Secundo. Titus Bosttenensis: Ille cordatus est, ait, qui cum prime sedis honorem iure promereatur, adeo illum non affectat, vt vltro quoque alijs deferat. Quapropter magnum, praclarumq; donum est, auanus modestus, sua sorte contentus. Prudentia magni viri est, quod quamuis valde notum sit, quod ipse honore primae sedis dignus sit, tamen eum non sibi vsurpat, sed alijs eum sibi deferendum relinquit; qui enim primum sibi occupat locum multis periculis exponitur. Salomon Proverb. 25. num. 6. Ne gloriosus appareas, ait, coram rege, & in loco magnorum ne steteris. Melius est enim, vt dicatur tibi; ascende huc, quam vt humiliaris coram Principe. Nam superbia, & ostentatio omnibus quidem exosa est, maxime regibus, & dynastis: tum quia reges omnibus eminere volunt; tum

Pro. 25. Reges omnibus volunt eminere.

tum quia maiestatem suam ab omnibus agnosci, & magna omnibus in rebus submissione coli, & suscipi inueniant.

58. Ambros.

Pro auctoritate humilitatis tenenda.

59. Bernard.

Beda. Bonauent. Hugo.

Eucharistia cum mortu metu sumenda.

60. Bernard.

Apoc. 2.

Qui gustat sacram Eucharistiam, in paradiso degit.

Richard.

Chrysost.

61. Bernard.

Verus humilis non cum alijs, sed infra omnibus se vilem reputat.

62.

2. Reg. 6.

Dauid se in extrema vilitate reputabat. Gregor.

rans D. Gregorius lib. 27. Moral. cap. 27. Quid alij, ait, sentiant ignoro, ego Dauid plus stupeo, saltantem, quam pugnantem, pugnando hostem subduxit, saltando coram Domino se ipsum vicit, & cum despicereur, dixit iudam, & vilior fiam plusquam factus sum: quasi diceret, vilesere coram hominibus appeto.

63.

Cum Gedeon in torculari purgaret frumenta, apparuit ei Angelus Domini, eumque salutans ait: Virorum fortissimè. Illique denunciata libertatem Israel per manum eius, atque gloriosam victoriam contra Madian; qui respondens ait Angelo: In quo liberabo Israel? Ecce familia mea infima est in Manasse, & ego minimus in domo patris mei, Iudic. 6. num. 15. Si Gedeon audit se ab Angelo virorum fortissimum nuncupari, quia nempe vt explicat Abulensis quæst. 11. corporis, animique viribus præ cæteris præpellebat, deindeque grandis victoria per manum eius prædicebatur, quomodo ipse de se testatur, quod eius familia sit infima, & ipse minimus in domo patris sui: Gedeon multum humilis erat, indeque non solum se cum alijs comparabat, nec inter alios se esse existimabat, sed etiam tam ex familia, quam ex persona sua se abiectionem esse dicebat, indeque non solum se ipsum, sed etiam suæ familiæ conditionem extenuat. Ecce familia mea infima est in Manasse, & ego minimus in domo patris mei, quod dicebat, quamuis ipse esset primogenitus, vt idem astruit Abulens. hoc est humilitatis ingenium, vt alios meliores cogitet. Petrus Blefens. serm. 30. Vt scilicet semper consideret homo, quid sibi abest, & quid alijs adest.

Iudic. 6.

Abulens.

Gedeon omnium se extremum dicebat.

Petr. Blef.

QUESTIO X.

Quare ille homo, qui ascendit ad superiorem locum, amicus appellatur, non vero ille, qui descendit?

Vo homines in hac parabola introducuntur, vnus recumbens in primo loco, alter in nouissimo. Qui in primo loco sedebat, cum honorator aduenit, ait ei paterfamilias, da hunc locum. Non tamen amicum vocat, vt illum alium, qui in nouissimo loco est inuentus, cui ait herus conuiuij: Amice ascende superius. Quæstio excitatur, cur ascendentem dicit amicum, non vero descendentem.

64.

Ratio difficultatis.

Primo. Cur amicum dicat D. Bernard. lib. 2. de consideratione ad Eugenium Pontificem, sic explicat: Quale est hoc, ait, de paupere, & abiectione leuari, super gentes, super regna? Quis ego, aut qua domus patris mei, vt sedeam excelsis sublimior? Sane qui dixit mihi: Amice ascende superius: amicum fore fidi. Cum Deus ad dignitatem, ac honorem hominem superius subleuat, sic eum sua gratia, ac donis communit, ac firmat; Amicum fore fidi. Vt in ipso dignitatis culmine, tanquam verus amicus illius legi, ac voluntati in omnibus obsequatur, vt suo muneri satisfaciens illius onera recte adimpleat.

65.

Bernard.

Deum cum dignitate dat vires proportionatas.

Secundo. Beda: Veniens Dominus, ait, quem humilem inuenit, amici nomine beatificans, superius ascendere præcipit. Quicumque enim humiliter se sicut paruulus, hic est maior in regno calorum. Humilis amici Dei nomine gaudet, & tanta excellentia, vt in hac vita existens illo beatificetur, ac

66.

Humilitas beatificat in hac vita.